



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Commentarivm Secvndvm Exegeticvm. De Tribvs Angelis, Qvi Ioanni Apparverunt, & voce illa audita de cœlo. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

Rom 3.3.

Dauid in
Deo maxi-
ma fiducia.

cum eum Saul persequeretur, significatque se destitutum penitus ab hominibus, à quibus auxilium sperabat, ideoque omnes homines appellat mendaces, & fallaces in quibus non sit confidendum. Sed aliam quoque expositionem confiteri cogimur propter Paulum, qui ad Rom. 3. mendacem eo locum sumit prout opponitur veraci, cum ait. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Quare iuxta hanc Pauli interpretationem ita loquitur Dauid. Multi in mea fuga actum de me existimarunt, putantes me nullo pacto regnaturum: at ego in causa fuga, rerumque mearum conuersione in Deo spem fixam habens credidi, & speraui Deum suam fidem mihi de regno datam seruaturum, dixitque omnem hominem, qui contra sentiret, falli, decipi, mentiri. Qui locus ita explicatus illustris est ad commendandam in Deo fiduciam, cum pericula, calamitatesque acciderint.

COMMENTARIUM SECUNDVM EXEGETICVM.

DE TRIBVS ANGELIS, QUI IOANNI APPARVERUNT, & voce illa audita de caelo. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Visio imaginaria proponitur, & explicatur

SECTIO PRIM A.

I.



RECELLENTEBVS virginum laudibus, & gloriosis, ac illustribus titulis explicatis docet Ioannes vidisse alterum Angelum volentem per medium caeli, habentis Euangelium aeternum, ut euangelizaret sedentibus super terram, magna que voce dixisse: *Time Domini, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius, in quo Angelo significari multos praedicatores illius temporis, qui Euangelium aeternum, id est, in quo salus aeterna continetur, praedicare debeant, & nuntiareque mortalibus imminentem iudicij diem, est multorum sententia, quae nobis probatur, eamque sequuntur Beda, Rupert, D. Anselm, Tycon. Ansbort, Scalij. Addit Ioannes alium quoque Angelum sequutum esse dicentem: *Ceciderit, cecidit Babylon illa magna, quae a vino ore fornicationis suae potauit omnes gentes: quae de se fusa disputadimus ad caput 17. & 18.* Deinde tertium adhuc Angelum visum fuisse, qui dicebat voce magna: *si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit charactrem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino irae Dei, quod misit in calice ira ipsius: per quem etiam Angelum similiter alij praedicatores accipiendi sunt, qui diuinis comminationibus homines a sequendo Antichristo auocabit. Possumus quoque hos Angelos ad visionem imaginariam referre, ut scilicet visus sibi sit Ioan. eiusmodi Angelos intueri, & audire ita loquentes, ut ipse quae videbat, & audiebat, literis mandaret: non quod Angeli & cionatores futuros tempore Antichristi representarent. Docet praeterea audiuisse se vocem de caelo, dicentem sibi: *Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodo iam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. Quae sententia est iam a nobis deinceps explicanda.***

Explicatur

Explicatur illa sententia.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.

SECTIO II.

Quidam recentiores in commentariis huius loci existimant sermonem hic esse de Martyribus, ut sit sensus: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, hoc est, pro Domino, vel propter Dominum moriuntur: aiuntque esse Hebraicæ lingue idiotissimum frequentissimum, ut Beth, quæ apud Hebr. idem est, ac propositio in, significet etiam pro, vel propter, veluti Gen. 18. *Delebit propter quinque uniuersam urbem*, Hebraicè, in quinque, & Genes. 29. *Seruiam tibi pro Rachel plicatua*, Hebraicè, in Rachel pluribusque aliste testimonis idem confirmat. Et merito, inquit de Martyribus sermo inseritur, quia cum Ioannes Sanctorum labores, & persecutiones Antichristi tempore, futuras cõmemorasset, par erat, ut fideles animaret felices eos, beatos quæ appellans, qui pro Domino morerentur, præiudicantique fore, ut tandem à laboribus requiescerent. Huius expositionis laudant auctores D. Ambr. Ansb. & Haymonem. Verùm quanquam hæc expositio probabilis sit, multò tamen probabilior, & verior nobis videtur communis sententia, quæ huc locum non ad Martyres tantùm refert, sed ad Sanctos uniuersos: eã enim tradit Beda, Andr. Cef. Rich. de S. Viã. Primaf. Pann. Ioachim. Abbas, Ansb. quæ male pro se citant: imò, & Haymo hanc etiam expositionem affert, & probat. Sic etiam intellexit D. Bern. epist. 98. quæ est de Machabæis. *Non putemus, inquit, solos Martyres esse dilectos, cum recolamus dictum de Lazaro: Lazarus amicus noster dormit: denique: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Non soli, qui pro Domino sicut Martyres, sed qui in Domino moriuntur, sicut Confessores, profecto beati sunt. Dne pr. inde res mihi videtur mortem facere pretiosam, vita & causa: sed amplius causa quam vita. Porro illa erit pretiosissima, quam & causa commendat, & vita. Vbi cernis Bernard. mori in Domino distinguere à mori pro Domino: neque hoc loco Ioannes solos Martyres intelligere, sed omnes qui in gratia, & charitate moriuntur. Legendus est idem Bern. serm. 24. ex paruis. *Pretiosam, inquit, in conspectu Domini mortem sanctorum facit aliquando vita, aliquando causa, aliquando vita simul cum causa in Confessoribus, qui in Domino moriuntur, facit pretiosam vitam in Martyribus, qui pro Domino moriuntur, facit eã pretiosam aliquando sola causa, aliquando causa pariter, & vita. Et illa quidem mors pretiosa est, quam commendat vita, pretiosior quam facit causa, pretiosissima verò quam præuenit vita simul cum causa. Accedit & Ecclesiæ auctoritas, quæ in officio defunctorum hoc vitur testimonio ad cuiusvis defuncti memoriam celebrandam, est que hæc expositio instituto Ioannis in primis accommodata. Cum enim instituat consolari fideles illius temporis, qui non omnes pro Christo Martyrium pati debent, imò paulò ante de virginibus disseruisset, conuenienti serie, ac nexu in uniuersum pronunciauit illos felices ac beatos, qui in Domino, id est, in fide, & gratia Christi morerentur, quo à suis laboribus in gloria requiescerent. Quo eodem sensu dicitur de B. Stephano Act. 7. *Quod obdormiuit in Domino.***

Propositio
In pro quibus
usurpatur
apud Hebræos.
Gen 18. 28.
Gen 29. 18.
Beda.

Andr. Cef.
Rich. Viã.
Primaf.
Pannon.
Ioach.
Ansbertus.
Haymo.
Ioan. 11. 12.

Act. 7. 66.

Cum itaque habemus commune Doctorum iudicium, Ecclesiæ ipsius auctoritatē per se grauissimã, aptissimam contextus, & instituti Ioannis seriem, est sane, cur hanc expositionem alteri optino iure preferamus, quãquam & illa prior sua probabilitate nõ careat. Ad obseruationem verò aduersariorum respondemus, quãuis in sacris literis idiotissimo Hebræo, in, interdum pro, significet, eã tamen utramque significationem habeat, non esse ad alterutram sine necessaria

ratione restringendum, si ytramque locus ferat: tū vel maximè, quòd Ioānes non Hebraicè, sed Græcè, ac gentibus præcipuè scribebat: vnde non est ad Hebræos idiotissimos per vim cogendus: Græcè autem in Domino idem necessariò esse, ac pro Domino non ostenditur. Quanquam enim apud Paulum ad Rom. vltimo, cū ait: *Commendo vobis Phabem sororem nostram, vt eam suscipiatis in Domino digne sanctius* & iterum: *Salutate Ampliatum charissimum mihi in Domino: & salutate Perfidem charissimam, quæ multum laborauit in Domino: in Domino idem fateamur esse, ac propter Dominum, seu pro Domine: non tamen ita semper accipitur, vt est perspicuum ex i: ad Cor. 7. cum dicitur: *Mulier alligata est leui, quāto tempore vir eius viuit, quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubere tantum in Domino: vbi illud in Domino idē est ac Marito Christiano, nō ethnico: vt interpretatur Tertull. l. 2. ad vxorem, & D. Hier. lib. 1. aduersus Iouinianum. Accedit, quòd & illud quoque ad Rom. vltimo: *Laborauit in Domino: D. Ansel. ita accipit, id est, Pro spe, quam habebat in Domino: quod aliud quiddam est, quāam præcisè propter Dominum. Ex quibus illud colligitur mori in Domino Græca phrasi non esse mori pro domino, seu Martyrem esse, quod ostendendum fuerat ad reiciendam communem sententiam Ecclesiæ auctoritate firmatam. Hoc supposito iam singulas sententiæ partes expendamus.***

Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

SECTIO. III.

I. **H**anc præclaram sententiam iubetur Ioannes mandare literis ad cōsolationem fidelū, cum se viderint vndique persecutionibus opprimi, laboribusque diuexari. Primū igitur D. Ambrosius obseruauit modum illum loquendi: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Quis, inquit, mortuus mori potest? Nullus proculdubio mortuus mori potest, nisi prius animam accipiat, vt iterum mori possit. Cui dubitationi respondet per mortuos hoc loco non esse accipiendos mortuos per separationem animæ à corpore, sed mortuos mundo; illi, inquit, sunt beati, & illi in Domino moriuntur, qui prius moriuntur seculo, postea carni: qui prius veterem hominem, id est omnes nequitias spirituales, & carnales in se extinguunt, vt possint dicere cum Apostolo. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Hæc tamen Ambrosij expositio elegantior est, quā venior: etenim mortui hoc loco non mortui mundo; sed verè mortui per separationem animæ à corpore accipiendi sunt, vt sic sensus: *Beati illi mortui, non qui postquam scilicet mortui sunt, iterum moriuntur, sed qui in Domino moriuntur, id est, quibus contingit mori in Domino; seu mortuos in Domino esse: quæ est communis expositio, & ab Ecclesiâ probata. Itaque mori in Domino nihil est aliud, quā mori in fide, & gratia Domini, seu mori seruum Domini, vt dictum est de Moyse Iosue. 1. *Moyse seruum meum mortuus est. In quem locum Caiet. Hic est, inquit, episcopus Moyses, quæ Deus ipse testatur placuisse sibi officia Moysis appellando ipsum seruum suum: imò dicens: *Moyse seruum meum mortuus est: aperit, quod mortuus est seruum suum, quasi diceret, Licet quandoque peccaueris, & peccando non fueris: seruum meum: aramen mortuus est seruum meus: mortuus est in statu seruus in pace, mortuus est sic, quod quid, vnde erat, & quid quid operabatur, meum erat. seruum enim totum quod est, Domini est. Hæc ille. Idem est igitur mori in Domino, ac mori seruum Domini: idēque alia quoque loquendi formula significatur in sacris literis, videlicet mori in pace, veluti Psal. 4. *In pace in idipsum dormiam, & requiescam: & Luc. 2. *Nunc dimittite seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Mortuus autē iustus in pace, quia in morte omnia eius bella, & certamina finiuntur, cum in probos maneat seruum eterna apud inferos cum tormentis decernatio.******

Secundò

Secundò, Moriuntur iusti in Domino, id est, in Domini sinu quasi dormientes II. conqueſcunt: hoc enim sensu dictum est Act. 7. de beato Stephano, quòd obdormiuit in Domino. Appellatur autem iustorum mors somnus, tum propter summam in ipsa morte quietem, & tranquillitatem mentis, ut somnum potius dulcem capere, quam mori videantur: tum etiam, quasi sicut somnus præteriti laboris est requies: ita sancti per mortem à laboribus vitæ requiescunt. Quam ob causam subiungitur: *Ut requiescant à laboribus suis.* & Psal. 4. quies cum somno coniungitur. In pace in idipsum dormiam, & requiescam. Eodem recidit illud, quod de Moyle dicitur Deut. 34. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab iubente Domino*, seu ut alij transferunt, *super os Iehouah*, seu, *ex osculo Iehouah*, ut sit sensus, sicut mater dormientem in sinu suo infantulum solet ore ori applicato in lectulo reponere: ita Deum Moylem seruum suum ceu dormientem infantulum per osculum, & amplexum in sinu Abrahe quasi in lectulo collocaſſe.

Tertiò, Illi dumtaxat moriuntur in Domino, qui viuunt Domino, & moriuntur peccato, iuxta illud ad Rom. 6. *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, uiuentes autem Deo in Christo Iesu*. E contrario autem, qui secundum carnem viuunt, moriuntur Deo, sed non moriuntur in Deo. Ad Rom. 8. *Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis, mortemini: si autem spiritum facta carnis mortis seaueritis, uiuetis*. Porro aduerte, cum ait Apostolus: *Debitores sumus non carni*: innuere carnem esse ueluti seuerum quendam exactorem, qui tributa per tyrannidem exigit, & extorquere conatur: sed tamen nihil ei soluendum esse, cum nihil ei secundum iustitiam debeatur.

A modo iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.

SECTIO III.

PRImò est aduertendum dictionem illam *A modo*, seu Græcè ἀπὸ τῆς, in quibusdam Græcis codicibus iungi cum præcedente sententia hoc modo: *μαρτυροῦντες ὅτι ἐν Κυρίῳ ὁ ἀπὸ τῆς ὁμοιωτικῆς ἀπὸ τῆς*, id est, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur a modo*. Imò Areth. ita contextum dispungit: *Scribe: A modo beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Cæterum Biblia regia, & Cöplutensia dictionem ἀπὸ τῆς, siue *a modo* iungunt cum sequentibus, ut communiter legit Ecclesia: est autem *a modo* idem, quod *abhinc*, siue *deinceps*, hoc est, à tempore mortis, quemadmodum docet cõmunis expositio, quam sequuntur Beda, D. Ambr. Haymo, & alij. Secundò est obseruandũ pro eo, quod nos habemus, *tam*, haberi Græcè, *τα*; quæ dictio significat, *certè*, *profectò*, ut sit sensus: *A modo certè*. Tertiò sciendum pro, *spiritus*, haberi Græcè *το πνεῦμα*, cum articulo, unde plerique propter articulum præfixum hoc loco nomine *spiritus* Spiritum sanctũ accipiunt, Haymo totã Trinitatem, cui confitentur Richardus, Ansbert. Denique Dionys. Carth. quæ refert, & sequitur Pannon. *Existimat posse per spiritũ intelligi illum ipsum Angelũ, qui Ioanni loquebatur, illud meritò subiungens reliquas omnes expositiones probabiles esse, ut nobis quoque uidentur. Illustrauit hunc locũ D. Bern. epist. 185. quæ est ad Romanum Romanæ curiæ Subdiaconũ. O quam beati, inquit, mortui, qui in Domino moriuntur, audientes ab spiritu, ut requiescant iam à laboribus suis: non solum autem, sed et succedit iucunditas de nouitate, ac de aternitate securitas. Bona proinde mors iusti propter multa, requiem, melior propter nouitatem: optima propter securitatem*. Hæc ille.

Ex hoc loco illud ad mores elici potest, non esse sperandam requiem in hac II.

Act. 7. 60.
Sanctorum
mors, cur di-
catur somnus.

Deut. 34. 5.
Dei fauores
erga Moysen
morientem.

III.
Moriuntur in
Domino, qui
uiuunt Do-
mino.
Rom. 6. 11.
Rom. 8. 12.
Carni tan-
quam iniusto
exactori mi-
nime soluenda
tributa.

Arethas.

Beda.
D. Ambr.
Haymo.

Haymo.
Rich.
Ansbertus.
Dionys. Carth.
D. Bernard.
Mors iusti
bona propter

In hac vita
hanc spem
da requiritur.

Hebr. 4. 9.

Origen.

vita, sed in alia. siquidem spiritus amodo, id est, à tempore mortis dicit requieturos esse sanctos à laboribus suis, quo significatur labores vsque ad finem vite duraturos, & requiem ab ipsa morte, non ante expectandam esse. Quam ob causam Apostolus ad Hebr. 4. gloriam sabbatismum appellat: presentem verò vitam sex illis diebus similem dicit, quibus Deus fabricatus est mundum. Itaque, inquit, relinquitur sabbatismus populo Dei, qui enim ingressus est in requiem eius, (id est Dei) etiam ipse requiescit ab operibus suis, (id est, à laboribus huius vite) sicut à suis Deus. Id quod eleganter expendit Origen. hom. 23. super Num. additque hom. 3. super Psal. 36. similitudinem ductam à filiis Israel colligentibus manna. Sicut, inquit, in deserto sex diebus colligebant manna, in sexto autem die non unius diei victum, sed quantum sufficeret in crassinum colligebant, & unusquisque comedit in die sabbati, quæ collegerat in die sexta: ita etiam nunc velut sexta quaedam dies putandus est Dominus nostri aduentus, & tempus, atque ideo dum sumus in die sexta colligamus manna dupliciter, ut sufficerent nobis possit, dum aduenerit vera sabbati observatio.

III. De hac requie loquitur Regius vates Psal. 114. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo: & Psal. 114. Convertere anima mea in requiem tuam: & Job. 36. Requies mens tua erit plena pinguedine. Eodem mysterio tempus huius vite appellatur dies mercenarij Job. 7. Militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij dies eius. Sicut seruus desiderat umbram, & sicut mercenarius prestolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumerans mihi. Cuius similitudinis multæ rationes afferri possunt: prima est D. Greg. lib. 8. Mor. c. 7. Seruum, inquit, desiderare umbram est post tentationis aestum sudoremque operis aeterni refrigerij requiem querere: quam umbram desiderabat seruus ille, qui dicebat. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum quando veniam, & apparebo ante faciem Dei: Et quasi à labore agris aestum refugiens, & ad obtinendam requiem umbraculum querens iterum dicit: Ingrediar locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. Secunda est eiusdem. Mercenarius, inquit, cum faciendæ opera conspiciat, mentem procius ex longinquitate, & pondere laboris addicit: cum verò lacescentem animum ad considerandum operis premium reuocat, mox vigorem animi ad exercitium laboris reformat, & quod graue perpendit ex opere, leue estimat ex remuneratione. Sic electi dum mundi huius aduersa patiuntur, grauias esse, quibus exercentur, pensant: sed cum mentis oculum ad aeternam patriam considerationem tendunt, ex comparatione premij, quam sit leue, quod patiuntur, inneniunt. Tertia illa afferri potest: quia sicut mercenarius sollicitè curat, ne vacuus ab opere dies transeat, cum ex labore viuat: ita iustus, cum viuat ex operibus, attentè pensat, ne sibi dies aliquis sine labore, & merito dilabatur.

Psal. 114. 1.

Psal. 114. 7.

Job. 36. 16.

Job. 7. 2.

Præfens vita

cur dies mer-

cenarij ap-

pellatur.

Prima ratio.

D. Gregor.

Psal. 41. 3.

Secunda.

Mercis leuè

reddis labo-

rem.

Tertia.

Opera enim illorum sequuntur illos.

SECTIO V.

i. **R**ationem, cur iusti post mortem à laboribus requiescant, cam tradit Ioannes, qui scilicet opera eorum sequuntur illos. sequi hoc loco idè est, quod comitari, vt aiunt D. Ambr. & Primas. perspicuumque est ex ipso textu Græco: ἀκολουθεῖν μετ' αὐτῶν: est autem ἀκολουθεῖν proprium famulorū, qui Dominū ponè sequuntur. Nec verò Græcè est, sequuntur illos, sed sequuntur, seu comitantur eū illi: vt indicetur opera non longè, sed proximè sequi dominos. Significat ergo Ioannes, seu spiritus Ioāni, opera bona esse quasi famulos, qui post mortē iustos tanquam suos dominos comitantur, & subsequuntur: & que admodum quantum quisque diues sit, ac nobilis, ex famulorū tum numero, tum ornatu cognoscitur.

D. Ambr.

Primas.

Opera bona

quasi famu-

li iustos se-

quuntur post

mortem.

scitur: ita sanctorum nobilitatem, & affluentiam meritorum ex operum bonorum multitudinem, & prestantiam post mortem intelligi. Ponuntur autem hoc loco opera, quemadmodum annotarunt D. Ansel. Rich. Ansb. & Haymo, pro mercede operum, ut sit sensus: *Opera enim illorum sequuntur illos*, id est, merces operum suorum, iuxta illud Hierem. 31. *Quiescat vox tua aploratu, & oculi tui a lacrymis, quia est merces operum tuorum, ait Dominus.*

D. Anselm.
Richard.
Ansb. &
Haymo.
Hier. 31. 16.

Verum pro illustriori huius rei cognitione obseruandum est primo, opera iustorum comitari eos ante tribunal Dei, appareretque iustos ante Deum stipatos suis operibus quasi famulis: hi enim famuli dumtaxat post mortem dominum suum comitantur: atque a deo curandum esse, ut hi famuli boni sint, nobiles, elegantique forma, hoc est, ut bona opera sint preclara, & illustria, ut ante Regem gloria cum pulcherrimo operum comitatu apparere quis possit: *Opera enim illorum sequuntur illos*, hoc est, ut ait Hugo Card. sicut familia Dominum. Cum igitur opera nos sequantur, enitendum summo studio est, ut huiusmodi famulos pulcherrimo virtutum omnium ornatu vestiamus, quod pro dignitate nos in summa illa curia comitentur, ac decorent. Esse enim opera aliqua pingua, & pulchra, alia exilia, & deformia docet D. Ambr. lib. 2. de Cain, & Abel, c. 5. expendens quomodo Abel de primogenitis, & adipibus obtulerit: affertque illud Psalm. 19. *Sacrificium tuum pingue fiat*: & illud Psalm. 62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*: docetque significari acceptabile esse illud sacrificium, quod pingue, quod nitidum, & quoddam pabulo fidei, ac deuotionis saginatum est.

Preclara in hoc seculo paranda opera ut nos decoret in futuro.
Hugo Card.
D. Ambr.
Psalm. 19. 4. & 62. 6.

Secundo, eos opera bona sequuntur post mortem, qui dum viuunt, eadem opera sequuntur. Nam quod iustus sequatur tanquam famulus ipsa opera bona, palam est ex 1. ad Tim. 5. *vidua eligatur non minus ex aginta annorum, qua fuerit unus viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauerit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus ministrauerit, si omne opus bonum subsequuta est*: quod loco est idem uerbum *ακολουθησεν* quod diximus proprium esse famulorum. Igitur qui dum uiuit, bona opera tanquam famulus subsequitur, ut apprehendat, ut honoret eiusmodi opera, eum post mortem bona opera etiam sequuntur, ut famuli quasi uice honorariam rependendo. Sicut enim modo iusticiam bona opera exerceant, ea censentur quodammodo honorare, & magni esse facienda omnibus ostenderet ita eadem bona opera eosdem iustos post mortem honorabunt.

Qui dum uiuit bona subsequitur opera, eum iuste sequuntur post mortem.

Tertio, sequi hoc loco idem est, atque laudare, & fructum gloriæ afferre. Sic enim interpretatur D. Bernardi sermone secundo in festo omnium Sanctorum.

D. Bernardi

Opera, inquit, illorum sequuntur illos: ad quid sequuntur, nisi ut laudent eos in portis, ad quid sequuntur, nisi ut multiplicentur, a fructu eorum, & accipientes de fructu manuum suarum agnoscantur uirtuti, quos ex propheticis testimonio, cum reedificabuntur muri Hierusalem, super altaria Domini nouimus imponendos. Quarto, Querat aliquis, cur opera dicantur sequi post mortem, si iam ante in vita precesserunt, ad Deum que ipsam peruenierunt, ut patet A. & 10. ubi ad Cornelium dicitur: *Elemosyna tua commemorata sunt in conspectu Dei.* Respondemus precedere merito, sequi premio: unde Eccl. 11. dicitur, *Mitte panem tuum in transientes aquas, quia post multa tempora inuenies illum*: ubi est sermo de elemosyna, ut alias diximus. Et Christus eodem spectauit Luc. 16. *Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in aeterna tabernacula.* Quibus uerbis significatur fructum elemosynarum in pauperes in caelo reponi, & quodammodo pauperes precedere, ut eos, qui sibi optulerunt in hac uita, cum obierint, in caelo recipiant.

Opera bona iustos precedunt merito, sequuntur premio.
Eccl. 10. 31.
Eccl. 11. 1.
Luc. 16. 6.

V. Porro non solum bona opera sequuntur, & præeunt: sed etiam peccata, quem-
 1. Tim. 3. 24.
 D. Ambrosius.

admodum dicitur 1. ad Tim. 5. Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iu-
 dicitum: quosdam autem & subsequuntur. Quæ locum sit exponit D. Ambrosius in Apologia David,
 c. 6. Omnia nostra, inquit, quasi in trutina ponderantur, si bona igitur facta peccata præponde-
 rant, præcedunt ad iudicium, vergent enim peccata quasi in profundum, quia manifesta sunt vel pen-
 dere, atque acerbitate, vel multitudine. Quosdam autem etiam subsecuntur: hoc est, eos, qui se egerint
 Peccata se-
 quuntur iu-
 stos, præcedunt
 iniustos.

Quæ opera
 præcedant,
 quæ expectent
 iudicium.

sobrie, sed fragilitate conditionis dederunt etiam aliquando errori locum, bona facta præcedunt, ma-
 la sequuntur. Ergo iustos sequuntur peccata, non præeunt: iniustos præcedunt peccata: si quæ autem
 recte facta sunt, sequuntur quasi quodam præiudicio peccatorum præeuntium prægrava-
 ta. Hæc D. Ambrosius, quæ maximè ad institutum pertinent, quamquam
 sensus Pauli longè alius sit, scilicet quorundam hominum peccata manifesta esse
 etiam ante ipsum iudicium. Itaque per manifestam, & publicam notitiam præce-
 dere iudicium, quoniam absque iudicio, & discussione manifesta per se sunt. Ve-
 runtamen alia quoque esse occulta, quæ ut manifestentur, & punientur, iudicium
 & discussionem expectant, & ita iudicium ipsum subsequuntur. Etenim Paulus
 Timotheum his verbis circa criminum inquisitionem, & punitionem instruit.
 Sed potest etiam locus ad iudicium Diuinum referri, quemadmodum retulit D.
 Ambr. ut scilicet opera publica præcedant iudicium, occulta subsequantur: quia
 illa cum manifesta sint, iam intelligitur, quæ remuneratione compensanda sunt:
 hæc autem cum sint occulta, expectant adhuc Diuinum iudicium, ut eorum siue
 probitas, siue malitia omnibus pateat.

Temporalia
 omnia parui
 faciendâ.
 Sap. 5. 8.

VI. Quintò, Colligimus, quo loco habenda sint omnia temporalia, in quibus no-
 bilitas, opes, potentia, ac deliciae numerantur: siquidem nos in morte deserunt, lo-
 lâque opera, quæ facimus, nos in aliam vitam comitantur. Id quod serid tandem
 cognouerunt reprobis apud inferos. Sapient. 5. Quid nobis, inquit, profuit superbia?
 aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illæ tanquam umbra, & tan-
 quàm nuntius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cum
 præterierit, non est vestigium inuenire, neque semita carinæ illius in fluctibus: aut auis, quæ trans-
 volat in aère, & cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarum
 verberans leuem ventum, & scindens per vim itineris aërem: commotis alis transuolauit, &
 post hoc nullum signum inuenitur itineris illius: aut tanquam sagitta emissæ in locum destinati,
 diuisus aër continuo in se reclusus est, ut ignoretur et transitus illius. Quo loco vide, præsen-
 tis vite, omniumque temporalium inconstantiam, & breuitatem quinque elegân-
 tibus similitudinibus explicari umbræ, veredarij, siue nunciij nauis, auis, & sagit-
 tæ, quæ omnia ita transeunt, ut nullum post se relinquunt impressum vestigium:
 cum tamen opera, quæ facimus, ita permaneant, ut etiam nos in alia vita subse-
 quantur, & comitentur.

Eorundem
 inconstantia
 & breuitas.

Sextò, Obseruandum est in tota hac Ioannis sententia appellari beatos solos
 VII. mortuos, nec tamen omnes, sed eos dumtaxat, qui in Domino moriuntur: nemi-
 nem autem viuètem beatum simpliciter prædicari, quoniam dum quisque viuít,
 quantumcumque perfectus sit, perueriti potest. Vnde Ecc. 11. dicitur. *Malitia hora
 oblivionem facit luxuria magna, & in fine hominis denudatio operum illius: ante mortem ne
 laudes hominem quemquam, quoniam in filijs suis agnoscitur vir, id est, brevis afflictio
 aduersitatis delet memoriam maximæ voluptatis, & in fine hominis denudatur
 opera illius quoad intentionem, quæ sub operibus exterioribus latebat, iuxta il-
 lud 1. ad Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illu-
 minabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & idcirco ante mor-
 tem ne laudes hominem, Græcè, μὴ μαχαίρειτε, hoc est, beatum ne prædices. Celeber-
 ritura*

Nemo dum
 viuít, beatus.
 Ecc. 11. 2. 9.

1. Cor. 4. 3.

rum est illud, quod Soloni cum Cræso contigit rogatus enim Solon à Cræso, num aliquem beatiorem se existimaret? respondit beatiorem esse Telum Atheniensem priuatum hominem, qui feliciter obiisset. Iterum rogatus, num quem alium beatiorem se crederet? nominauit duos Græcos fratres Cleotium, ac Bolium iam vita sanctos. Cræsum verò eam ob causam ira percitum huiusmodi responsione sedauit: *Ego, inquit, te Regem potentissimum ingenue fateor, beatum autem nequaquam dixerim, antequam diem claudas.* Quod autem Sapiens præcedentis sententiæ rationem afferens adiungit: *Quoniam in filiis suis agnoscitur vir:* illud significat, qualis quisque in vita fuerit, ex filiorum institutione colligi posse. Postremo, Ex eadem Ioannis sententia colligitur animæ immortalitas: si enim illi mortui, qui in Domino moriuntur, beati, ac felices prædicantur, proculdubio aliquid eorum post mortem remanet, cui felicitas cõueniat: nec enim id, quod nullo pacto existit, beatum censerì potest.

Immortalitas animæ.

COMMENTARIUM TERTIUM EXEGETICUM.

De simili filio hominis sedente super nubem, habente in capite coronam auream, & in manu falcem acutam, qua terram demessuit:

& de alio Angelo habente falcem, qua botros vineæ terræ vindemiauit.

Visio imaginaria describitur, & explicatur.

SECTIO PRIMA.



Ommemorata beatitudine, quam virgines, sanctique omnes consequentur, pœnisque impiorum, qui Antichristo adhaerent, explicatis, agit deinceps Ioannes de die iudicij, quo die & constituta electis præmia, & definita reprobis supplicia tribuentur. Itaque primum narrat vidisse se quendam similem filio hominis, id est, Christum in nube quadam candida tanquã in throno confidentem: venturum enim Christum ad iudicium in nube prænuñciauit Daniel c. 7. *Ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat:* & Apocal. 1. *Ecce venit cū nubibus, & videbit eum omnis oculus.* Addit Ioannes hunc similem filio hominis apparuisse sibi habentem in capite coronam auream, id est, regalem dignitatem: & in manu sua falcem acutam, falcem, inquam, messoriam, vt patet ex sequentibus, id est, iudiciariam potestatem, qua veluti falce demessurus est hominum segetes, partim in cœlestia horrea inferendam, partim sempiternis ignibus addicendam. Secundo ait apparuisse vnum Angelum, qui exiit de templo, & voce magna ad similem filio hominis his verbis clamauit: *Mitte falcem tuam, & metes, quia venit hora, vt metatur, quoniam aruit messis terræ.* Quo loco per templum cælum ipsum, in quo Deus tanquam in sacerrimo, & augustissimo templo colitur, accipiendum est: per Angelum verò clamantem ad Christum, vt mittat falcem in terrã, & metat, representantur beati omnes, qui magna voce, id est, summis votis exoptant, vt dies iudicij adueniat, Christumque continuò orant, vt sinem iam tantam tãtis

Dan. 7. 13.
Apoc. 1. 7.

Iudiciaria Christi potestas falci comparatur.

Iudicij dies votis omnium exoptant beati.